7

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ICTERO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

PINKSTAN JAMES,

LONDINENSIS,

Soc. Reg. Med. Soc. Ext.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Amico ſuo optimo

FLEMING PINKSTAN,

Hanc diſſertationem,

Animi beneficiorum haud immemoris,

Teſtimonium,

Conſecrat

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

CUM natura diſſertationum medicarum talis ſit, qualis parum varietatis recipere poteſt, prooemium raro neceſſarium ſit oportet. Igitur hoc in loco nihil aliud, quam tantum incepti mentionem injiciemus. In animo autem eſt nobis de hepate ductibuſque ejus quam pauciſſimis diſſerere; deinde hiſtoriam Icteri rationemque ei medendi tradere.

Hepar unum eſt e maximis corporis humani organis ſecernentibus: In dextro hypochondrio potiſſimum, et proxime ſubter ſeptum tranſverſum, ſedet, cui adjungitur. In loco proprio per quatuor ligamenta, viz. dextrum ſiniſtrumque laterale, latum ſuſpenſorium, et ro-

tundum continetur. Cum deſcriptio hujus organi admodum accurata et fuſa ab incepto noſtro aliena ſit, multa ſilentio praetereuntes, tantum adjiciemus, id arteria, cui nomen *hepatica* inditur, quaeque ad id nutriendum potiſſimum deſtinari videtur, et vena ampla, quae *vena portarum* appellatur, munere arteriae fungitur, et, ut nonnullis placet, formationi bilis ſolum inſervit, eſſe inſtructum. Aliquid ſingulare in hac vena notandum eſt, truncum ejus nempe ex omnibus venis viſcerum abdominis, ſi renales et haemorrhoidales internas ſolas excipias, conjunctis eſſe conflatum. Poſtquam hepatis ſubſtantiam ingreſſa eſt, in ramos numeroſos ibi dividitur, adeo ut e ramis compoſita et in ramos rurſus diviſa duas arbores, quarum truncorum fines ſibi invicem appoſiti ſunt, referre dicatur. Hepar ingreſſa tunicis firmior evadit, et omnes hujuſce magni viſceris partes inviſit, longe lateque diffuſa. Sanguis ab hepate per venas arteriae hepaticae venaeque portarum reſpondentes, quae omnes tandem tribus cavis hepaticis, uti appellantur, quae ſanguinem, quem vehunt, in venam cavam inferiorem ſub diaphragmate effundunt, finiuntur, reducitur. Praeter vaſa modo depicta, ſunt alia, quae ad bilem in duodenum et veſiculam felliferam devehendam accommodantur. Haec autem a finibus venae portarum extremis in tota ſuperficie ſubſtantiaque hepatis proficiſcuntur. Hi rami exigui gradatim conjuncti alios majores conſtituunt, qui

rurſus

rurſus connexi duos truncos formant, quorum conſociatio ductum hepaticum conflat. Hic per aliquantum ſpatii deſcendens, alii ductui a veſicula fellis deorſum et aliqua ex parte retrorſum venienti adjungitur. Hi duo juncti tertium formant, cui nomen *ductus communis* choledochus inditur. Ad duodenum uſque deſcendit hic ductus, et tunicam muſcularem inter et villoſam ſemi digitum aut circiter oblique tranſiens in cavum tubi alimentarii, circa quinque digitos infra pylorum, deſinit. Veſicula autem fellifera, unde ductus cyſticus deſcendit, cujuſque mentio ſupra facta, eſt ſaccus exiguus, ut receptaculum bilis a natura plane evidenterque deſtinatus, in parte hepatis concava ſitus, a margine anteriore, ubi fundus collocatus eſt, ad ſinum venae portarum uſque, ubi cervix ſedet, extenſus, pyrum forma referens, tribus tunicis inſtructus, et vaſa nervoſque ab hepaticis deducens. Nullos ductus hepatico-cyſticos habet. Hos induſtria anatomicorum non alibi, quam in brutis animantibus, detegere potuit. Quo omnia hepar veſiculamque fellis ſpectantia quaſi uno verbo comprehendamus, haec viſcera vaſis lymphaticis numeroſiſſimis inſtructa ſunt.

Structura hepatis veſiculaeque fellis breviter hoc modo percurſa, proximum eſt, ut morbum ipſum, quem, ut argumentum hujuſce diſſertationis, ſelegimus, exequi incipiamus. Varia nomina apud Graecos et Romanos ſcriptores ſibi adeptus eſt, qualia ſunt Ικτερος,

Arcuatus,

Arcuatus, Morbos Regius, et Aurigo. Definitionem vero, antequam hiſtoriam ejus aggredimur, tradere conveniet. Cum melior autem eâ a Culleno illuſtri traditâ vix poſſit excogitari, verba ejus ſine ulla mutatione adhibebimus.

DEFINITIO MORBI.

Flavedo cutis et oculorum, faeces albidae, urina obſcure rubra, immiſſa colore luteo tingens.

HISTORIA.

Icterus, quantum diſcere potuimus, non ulli aetati temperamentove proprius eſſe videtur, ſed per omnia vitae ſtadia, a pueritia prima ad ſenium extremum uſque, ſemet oſtendit. Frequentius tamen adultos et temperamento cholerico praeditos, et, quantum ad duos ſexus attinet, foeminas ſaepius quam mares, invadere dicitur. Signa autem hujuſce morbi non eundem curſum in omnibus hominibus tenent, ſed, quantum numerum, gradus diverſos, ordinem quo accedunt, ſpectat, in

in aliis aegrotantibus, et etiam in eodem diverſis temporibus, alia eſſe reperiuntur. A languore et laſſitudine totius corporis, quibus accedunt tenſio dolorque hypochondrii dextri, non raro incipit morbus. Ponderis et oppreſſionis ſenſus circa praecordia, cum magna anxietate, ſpirituque aliqua ex parte difficili, percipitur: Ægrotus ſigna in ea poſitura, in qua corpus antrorſum inclinatur, quam cum ſtat erectus, leviora eſſe ſentit. Sub hoc tempus, tunica oculorum adnata et unguium radices colore leviter flavo tingi incipiunt. Tota corporis ſuperficies externa brevi eundem colorem ſibi adipiſcitur, et, prout morbus progreditur, flavedo major majorque evadit. Pruritus cutis moleſtiſſimus, et calor narium ingratus, nonnunquam invadunt; ſed haec ſigna quae nonnullos aegrotantium magnopere vexant, ab aliis minime percipiuntur. Functiones ventriculi hoc in morbo plurimum turbari videntur. Nauſea et vomitio non raro ſubſunt, aegrotus cibum averſatur, concoctio male perficitur, et oppreſſio circa praecordia poſt cibum ſumptum valde augetur. Qui hoc morbo conflictantur, ii dolorem capitis ingratum et vigiliam ſaepe queruntur. Faeces plerumque albidae ſunt, vel colorem luti habent, et nonnulli auctores alvum ſemper adſtrictam eſſe contendunt. Sperari quidem poſſit, abſentiam bilis, ſtimuli ſoliti, ventrem ictero laborantibus ſemper adſtricturam eſſe; ſed quidam non deſunt, fide quidem digniſſimi, qui, contra, aſſerunt, aegrotos hujuſmodi ſaepe ad diarrhoeam eſſe proclives. Quinetiam vir celebris Dr Heberden notat, nec unam nec alteram ex

hiſce

hiſce conditionibus alvinis huic morbo eſſe propriam. Stercus quoque, quamvis plerumque albidum eſt, eum colorem non ſemper habet. Namque in nonnullis caſibus, quos ipſi in Noſocomio vidimus, quae venter in complures dies, poſtquam flavedo in cute ſemet oſtenderat, excrevit, ea colore luteo deſtituta non fuerunt. Inſuper, exemplum nobis fuit enarratum, in quo faeces albidae per totum morbi decurſum nunquam ſemet oſtenderunt. Quod Swietenius celebris, de ictero diſſerens, ait, modo poſita quoque firmat. "Quandoque "in primis morbi inſultibus incipiunt flava per alvum "prodire, dum ſimul ictericus color in cute et urina "apparet *." Faeces tamen, ut ſupra comprehendimus, plerumque ſunt albidae, et, cum res ita ſeſe habet, eas ſpiſſitudinem luti habere, et foetorem ſolitum magna ex parte amittere notatur. Urina, qua ſub initio morbi nonnunquam admodum pallida eſſe dicitur, colore ſubfuſca, vel perquam flava, evadere conſuevit, quaſi croco inficeretur, adeo ut lintea vel chartam in eam immiſſam tingat. Praeterea odorem, violis proprium, aliqua ex parte referentem, emittere dicitur. Saliva quoque affici videtur; namque, quanquam non perpetuum eſt, tamen minime rarum, cibum ſolidum, hoc morbo ſubſtante, et urgente, ſaporem amarum habere. Idem quoque, quantum ad fluida attinet, incidit; ſed hoc minus, quam illud, frequens. Notis jam enumeratis ſingultus aliquando accedit, et aegroti hoc malo colluctantes

* Vide 3d vol. Comment. in Aphor. 950.

colluctantes paroxyſmis rigoris non parum vehementibus fuerunt correpti. Hoc ſignum, quod in aliis canalis alimentarii vitiis ſummum terrorem, non ſine cauſa graviſſima, incutere ſolet, horam unam vel alteram, et in ſecundam tertiamve vicem, durabit, aegrotantem nullum in periculum magnum adducens. Ictero laborantibus borborygmi et tormina plurimum moleſtiae ſaepe faceſſunt, eo uſque interdum, ut haec magis, quam ulla alia, querantur, ſi dolorem hypochondrii dextri ſolum, cum graviſſime urget, excipias. Silentio non praetereundem eſt, hunc dolorem nonnunquam adeo intenſum eſſe, ut ab hominibus ſumma fortitudine conſtantiaque praeditis vix tolerari poſſit; dum in aliis levem tantum moleſtiae ſenſum, circa regionem hepatis movet, vel nequaquam ſentitur. Menſem totum ſine ullis intervallis, praeter ea quae uſus opii comparavit, urgere fuit notatus; plerumque vero non diutius, quam biduum triduumve, ſine intermiſſione manet. Pulſus arteriarum raro multum mutari videntur, quanquam interdum celeres, duri, plenique ſunt. Simpſon clarus aegrotantis caſum memoriae prodit *, in quo haec ſigna, cum dolore acuto circa ſcrobiculum cordis, magna moleſtia, ſiti inſatiabili, et ardore permagno, ſub ipſum morbi initium, orta ſunt. Non alienum forſitan erit hoc in loco de quaeſtione paucis diſſerere, quam tamen non magni momenti eſſe judicamus. Ea autem ſubſequitur, an oculis objecta ictero laborantibus flava eſſe videntur? Galenus

* Vide Med. Eſſays and Obſervat. vol. 2. article 28.

Galenus et Sextus Empiricus rem ita ſeſe habere contendunt; dum in ſententiam omnino contrariam Hieronymus Mercurialis conceſſit, quod nec Celſus, nec Coelius Aurelianus ullam hujuſce notae mentionem injecit. Quinetiam vir eruditus Dr Heberden ait, omnes ictero conflictantes, quibuſcum ſuper hac re ſermonem unquam contulit, objecta oculis flava videri negaſſe. Ob hanc rationem, opinionem, nulli fundamento ſtabili certoque inniti, contendit. Mihi quidem omnino perſuaſum eſt, multos ſibi in animum falſo induxiſſe, ob oculos poſita flava videri. Neutiquam tamen contenderem, rem nunquam ita ſeſe habere. Animus potius inclinat, ut in opinionem contrariam eam, cum aegrotus in conclavibus Noſocomii Regii clinicis, anno ſuperiore, dilucide narraverit, caerulea ſibi ob oculos obſervantia viridia, et alba flava videri. Quod in alio hepatis morbo accidere conſuevit, id in hoc quocunque incidit; aegroti nempe aliquando ſcapulae humerique dextri dolorem conqueruntur. In initio hujus diſſertationis notare forſitan debui, aliquas mulieres, per tempus graviditatis, ictero corripi, quanquam eas nunquam ante infeſtaverat, et quanquam, a partu, iis nihil moleſtiae faceſſivit. Quinetiam infantes recens nati ei patent. Hi caſus nihil auxilii a medicina plerumque requirunt, colore icterico in uno brevi a partu evaneſcente, et in altero per opem lenis purgantis, ſublatu minime difficili. Paroxyſmi icteri modo non parum diverſo invadunt, ſpatio, reditu magis minuſve frequenti, et violentia magnopere differentes. In aliis aegrotis

morbus

morbus biduo triduove evaneſcit, in aliis per ſpatium totius anni vel plurium annorum manet. Quae ſequuntur, ea ſunt prima valetudinis commodae redeuntis ſigna. Æger ſemet ea oppreſſione ponderoſa, quae eum degravare videbatur, levari ſentit. Cibum non amplius averſatur, nec vomitionẽ tentatur. Nonnulli aegrotantium ſenſum habent, quaſi aliquid intra ſemet rumperetur, vel decideret, vel quaſi fluidum in ventriculum effunderetur. Urina minus tingi, et cutis colorem priſtinum gradatim recuperare incipit. Quae excernuntur, ea nunc haud amplius argillam referunt, et non raro diarrhoea bilioſa incidit. Et, rebus ita ſe habentibus, ſi faeces accurate examinantur, concreta figura et mole variantia reperiuntur. Ægrotus, ſolito vigore nunc ſibi reſtituto, ſpem fovet, valetudinem commodam fore diuturnam, et, ne malum, quo nuper laboraverit, repetat, minime timet. Securitas vero, quo ſemet ſolatur, brevis et fugax eſt; namque pauculis menſibus, immo hebdomadis, elapſis, in ſe morbum rurſus invadere ſentit, qui eundem fere curſum iterum tenet.

Paroxyſmus gravis magnam debilitatem et attenuationem ſaepe facit; ſed paroxyſmi etiam protractiores non ullas noxas, quae diu maneant, ſecum adducent, vel, quo minus aegrotus ad ſanitatem priorem brevi reducatur, impedient, cauſa, quae eos moverit, ſublata. Qui ictero multos per annos ex intervallis tentantur, ii, cum paroxyſmus deceſſit, valetudine commodo fruentur. Cum peſſima et graviſſima morbi ſpecies incidit, paroxyſmi in majorem longitudinem producuntur,

ſigna ingraveſunt, et cutis colore ei ſimili, qui a miſtura alicujus viridis cum nigro oriretur, foedatur. In hoc ſtatu morbi horrendo, inciſiones cadaverum oſtenderunt, colorem flavum ad partem cerebri medullarem, ad oſſa, et etiam ad cartilagines, fuiſſe diffuſum. Ægrotus miſerandus nunc frigeſcit, debilis, triſtis, animoque demiſſus fit, et admodum emaciatus, vigilia et melancholia excruciatur. In hoc morbo ſtadio nihil aliud facere poteſt medicus, quam artis Hippocraticae, de qua tot et tanta quotidie jactantur, imperfectionem contemplari et deflere. Morbus omnino inſanabilis evadit, vires naturae tantum malum non diutius perferre poſſunt, profuſiones ſanguinis copioſae accedunt, et aegrotus miſerrimus modo ſudoribus digerentibus, modo aliquanto hydropis, rapi conſuevit.

Signis praecipuis, quae in ictero offenduntur, enumeratis, et morbo ad finem uſque depicto, proximum eſt, ut, quomodo ab aliis morbis poſſit ſecerni, conſideremus.

DIAGNOSIS.

Qui morbi cum ictero confundi periclitantur, ii ſunt chloroſis, morſus animalium venenatorum, et febris Indiae Occidentalis flava. Quantum ad primum horum

morborum

morborum attinet, is ab ictero, quem exequimur, facile poteſt ſecerni. Chloroſis eo tempore tantum, quo menſtrua primum proveniunt, accedit; icterus vero nulla certa aetate circumſcribitur: In illa, urina nihil mutationis ſubit, in hoc, ſignum morbi praecipuum ſuppeditat. Cum ſubflavidus color a menſibus retentis pendet, non primum in oculis ſemet oſtendit; cum ab excretione bilis, contra, impedita proficiſcitur, haec organa primum afficiuntur. Huic accedit, quod, in morbo uterino, dolores in dorſo, lumbis, et circa oſſa ilium et innominata potiſſimum ſentiuntur; in eo vero qui hepati ductibuſve biliferis proprius eſt, hypochondrium dextrum, brachium, humerumque tenent. Quantum ad morſum animalis venenati ſpectat, flavedo quidem ab hac cauſa orta in ſuperficiem diffundi ſolet. Hoc vero diagnoſin difficilem minime reddet: Etenim primum, morbus non ſemper univerſus eſt, ſed membro, quod detrimentum cepit, aliquando continetur. Secundo, color in albo oculorum non primum apparet, ſed circa oras vulneris ſemet ſpargit: Denique, faeces albidae colorque urinae obſcure ruber ex toto deſunt. Ad unum morbum ab altero diſtinguendum hae notae, judicio noſtro, ſufficient. Tantum ſupereſt, ut paucula, de febre Indiae Occidentalis flava, verba adjiciamus. Cum occaſio hunc morbum endemicum videndi nunquam nobiſmetipſis fuerit ſubminiſtrata, de eo diffidenter verba faciemus. Inter auctores qui de eo differuerunt, conveniſſe videtur, pyrexiam colorem ictericum conſtanter praecedere. Si res ita ſeſe habeat, hinc multum auxilii in diagnoſi

inſtituenda

inſtituenda accipiemus. Quanquam ſigna febrilia vero ictero nonnunquam adjunguntur; raro tamen, uti credo, ſemet oſtendunt, et, nullo in exemplo, antequam flavedo apparet, vel ſine dolore dextri hypochondrii. In febre Indiae Occidentalis flava, quantum diſcere potuerim, flavedo oculorum ſe in conſpectum dare non incipit, donec horae quadraginta octo, ex quo febris primum acceſſerit, ſunt elapſae. Quinetiam Doct Lining memoriae prodit, pauciſſimos anxietatem vel oppreſſionem circa praecordia, vel hypochondria conqueri ſolere.

Inſuper, rubor faciei et oculorum et horum ardor primum febris flavae ortum comitantur, et ſignis pathognomonicis accenſentur. Silentio hoc in loco non praetereundum eſt, bilem in canali alimentario conſtanter ſubſtantem ad hunc morbum a vero ictero ſecernendum poſſe conferre: Namque, licet neceſſarium eſſe duxerimus memorare, faeces non ſemper albidas eſſe aut argillam reddere; rem tamen plerumque ita ſe habere credimus. His de diagnoſi traditis, ad cauſas, quae mortales ad icterum proclives efficiunt, conſiderandas progrediemur.

SE-

SEMINIA.

Notitiam horum admodam imperfectam habemus, nec aliquid ab aliis, quod votis reſpondeat, diſcere potuimus. Quae vero de iis ab auctoribus tradi conſueverunt, ea proponemus. Seminia autem unde morbum proficiſci plerique exiſtimant, ſunt affectus animi ingrati, praeſertim ii qui ſummam corporis agitationem faciunt; vita ſedentaria. Haec in cauſa eſt, cur mulieres ictero ſaepius quam mares, et ſtudio literarum dediti, quam vitam magis actuoſam degentes, laborare dicantur. Operae pretium eſſe ducimus hoc in loco notare, uſum liquorum ſpirituoſorum immodicum obſtructiones hepatis frequenter progenerare dici: Si hae prope ductus biliferos ſedeant, icterum movere poſſunt; igitur nihil obſtare videtur, quo minus uſum liquorum ſpirituoſorum nimis liberalem ſeminiis icteri accenſeamus. His, uti multis placet, accedere debent quaelibet excretiones ſolitae ſuppreſſae, quales ſunt menſtrua, haemorrhois; uſus corticis Peruviani in curatione febrium intermittentium imprudens; quilibet morbus cutaneus retropulſus; emetica et cathartica intempeſtive adhibita. Quinetiam icterus ab affectibus hyſtericis et hy-

hypochondriacis nonnunquam oriri dicitur, et inter hiſtoriam morbi tradendam obſervavimus, eos, quibus inſit temperamentum cholericum, ei maxime patere.

NOXAE CAUSAEVE EXCITANTES.

Ex omnibus cauſis, quae icterum movere dicuntur, nullae frequentius offenduntur, quam concreta e bile ipſa conflata, quae calculi biliarii vulgo appellantur. Anatomia diſcimus, concreta generum diverſorum in multis corporis partibus formari, ſed vias, per quas urina biliſque devehuntur, iis potiſſimum objici. De iis quae a bile naſcuntur, tantum agemus. Anatomici, qui in uſu practico multum fuerunt verſati, quam frequenter ſemet oſtendant, ſatis teſtantur, et vix ulli auctorum, qui ſpecies, quas cadavera inciſa prae ſeſe ferre notarint, memoria prodiderunt, concretorum e bile compoſitorum mentionem injicere obliti ſunt. Loca, ubi plerumque reperiuntur, ſunt veſica fellifera, aliquando, ſed rarius, ductus hepaticus, et, uti fertur, rami pororum biliferorum. In ductu cyſtico quoque frequenter offenduntur, ſed, hoc in exemplo, eos a veſicula fellis deſcendiſſe ponimus. Non nobis in animo

eſt,

eſt, cauſas horum concretorum proximas, modumve quo procreentur abſolutum, accurate inveſtigare conari; ea vero a ſtatu bilis certo, qui eam ad concreſcendum proclivem efficit, oriri probabile eſſe videtur. Exempla innumera non deſunt, ubi bilis a conditione naturali et colore et ſpiſſitudine magnopere differre fuit reperta, modo nigra, modo variis gradibus flava, modo viridis, et frequenter admodum pallida, et fere alba. Bilis, ſi hoſce humores colore tam diverſos eo nomine vocare liceat, omnes colores modo poſitos, ut experientia clare evidenterque teſtatur, habuit, calculis in veſica fellifera abſentibus vel praeſentibus; cum ſaccus felliger aliquid bilis una cum calculis continet, hi et illa eundem colorem frequenter habent. Caeterum res non ſemper ita ſeſe habet; bilis etenim et calculi colore aliquando differunt. Namque Hildanus exemplum memorat, ubi calculum juglandem magnitudine adaequantem in veſicula fellis reperit, cujus pars altera nigra, altera flava fuit. Hoc admodum probabile eſſe ex Hallero apparet *, qui veſiculam, quae concreta comprehendebat, bili viſcida, partim flava, partim nigra, repletam offendit. Quantum ſpiſſitudinem bilis ſpectat, innumera in monumentis medicinae exempla reperiunda ſunt, ubi in omnibus corruptionis ſtadiis ab humore pallido, inſipido, aqueo, ad ſubſtantiam craſſam, nigram, picemque referentem uſque, fuit reperta. Quod ad

* Opuſcul. Patholog. Hiſt. 9.

ad molem horum concretorum attinet, nullis limitibus, praeterquam magnitudine veſiculae felliferae, circumſcribuntur. Immo, ut auctores referunt, eam diſtendunt aliquando. Quantopere hi ductus per concreta hujuſmodi diſtendi poſſint, fere incredibile eſt. Calculorum qui deſcenderunt mentionem facit vir clarus et eruditus Dr Heberden, quorum circumferentia minima duos digitos aequavit. Inſuper, vir illuſtris Dr Monro, rei anatomicae profeſſor, multa hoc genus concreta colligenda curavit, quae ad quam magnitudinem ductus biliferi poſſint diſtendi evidenter oſtendunt. Cum multum molis ſibi comparavit concretum, in cyſtide remanendo nonnihil incommodi forſitan facere poteſt. Hoc vero frequenter perquam leve eſſe compertum habemus; quoniam multi poſt mortem inciſi fuerunt, in quibus concreta reperta, qui tamen per totum vitae decurſum omni vitio caruerunt, quod huic cauſae poſſet referri. Ab illis, quibus cadavera eorum, qui ictero ſaepe fuerant colluctati, examinandi multae occaſiones ſubminiſtratae ſint, accipimus, ductus biliferos ultra diametros naturales, per totam longitudinem, ſed perquam inaequaliter, diſtentos fuiſſe repertos. In dotes horum concretorum et qualitates accurate et laborioſe inquirere, alienum forſitan foret. Igitur tantum notabimus, idque quam breviſſime, ſpiſſitudine, gravitate ſpecifica, duritie, facilitate et difficultate quibus ſolvantur, flammamve concipiant; figura, magnitudine, colore, &c. a ſe invicem plurimum diſcrepare; alia

eorum

eorum compacta, dura, et ponderoſa ſunt; alia mollia, friabilia, et levia. Aqua plerumque ſpecifice leviora ſunt; nonnulla tamen in eam conjecta fundum protinus petunt. A Whytt * celeberrimo, ex aqua calcis ſolvi non poſſe, ab Hales philoſophico †, lixivium ſalis nonnulla eorum diſſolvere valere, diſcimus. Pleraque ex iis ſicca ardent, et flammam emittunt, et quaedam in morem cerae liqueſcere dicuntur; quantum figuram, molem, et colorem ſpectat, immenſam varietatem habent. Nucleum plerumque continent. Alia e lamellis conſtant, alia radios a centro venientes referunt, alia homogeneae eſſe videntur. Cum phaenomena icteri per concreta biliaria explicare, omnino facile eſſe judicemus, de iis dicendi hic finem faciemus. Si gradus ſpiſſitudinis bilis varios attenti conſideremus, nihil obſtare videtur, quo minus conditionem ejus viſcidam ‡ icterum aliquando facere poſſe ponamus. Hoc probabile efficiunt a medicis auctoribus relata, qui icterum, bile perquam viſcida rejecta, deceſſiſſe, et nunquam rediiſſe tradunt.

Proximum eſt, ut cauſas examinemus, quae icterum parietes ductuum biliferorum ita comprimendo, ut deſcenſui

* Eſſay on the Virtues of Lime Water.

† Statical Eſſays.

‡ Quanquam ratio non deeſt, cur bilem viſcidam icterum nonnunquam facere credatur; res tamen adhuc diſputabilis eſt, nullis accuratis obſervationibus factis, unde detegi poſſet, utrum concreta biliaria necne in iis, qui bilis viſcidae quantitatem rejecerint, per ductus biliferos, eodem tempore, deſcenderint. Igitur, utrum bilis necne tantum, ob concretum biliarium in duodenum depulſum, fuerit rejecta, dubitari poteſt.

ſcenſui bilis in duodenum obſiſtatur, faciunt; hoc autem praeſtare poſſunt tumores ab inflammatione ſchirrove hepatis, ventriculi, pancreatis *, duodeni, glandularum meſenterii, omenti, vel cujuſlibet partium vicinarum orti, cauſa quoque eſt, cur lymphaticas hepatis † glandulas, prope ductus biliarios ſitas, adeo tumefieri poſſe, ut morbum interdum faciant, credamus. In cadavere cujuſdam aegrotantis, qui morbo hepatis laboraverat, apud noſocomium regium, hyeme ſuperiore inciſo, una e glandulis lymphaticis adaucta reperta eſt. Si alter morbus non aegrotum extinxiſſet, hoc tumefactum icterum inſanabilem aliquando moturum fuiſſe, ſuſpicamur. In gravidis mulieribus, icterus a preſſura viis biliferis per auctum uteri illatis non raro proficiſcitur. Faeces induratae colo contentae idem praeſtant. Hoc leviter tantum referimus, quod parum nihilve auxilii medici requirit. Ductus ipſi morbis eos, qui in aliis corporis partibus incidunt, referentibus, minime ex toto vacant. Interdum omnino oſſei evadunt, et parietes eorum, ut apud nonnullos auctores legitur, aliquando quoque concreſcunt. Spaſmi duodeni ‡ et ductuum cauſis,

* In theatro anatomico Monroiano aſſervatur praeparatum elegantiſſimum, caput pancreatis ſchirro laborans exhibens, quod icterum excitaverat.

† Et etiam praeparatum, glandulas lymphaticas prope ductus, adeo tumefactas, exhibens, ut ex eo icterus fuiſſet ortus.

‡ Cum nullae fibrae muſculares in ductibus biliferis unquam fuerint detectae, cumque etiam veſicula fellis, ſine ope tunicae muſcularis, repleri et depleri poſſit, utrum ſpaſmus ductuum unquam icterum necne faciat, ambigi poteſt.

cauſis, quae hunc morbum ſoleant excitare, annumerantur. His neutiquam aſſentimur, qui cauſas hoc genus exiſtere pertinaciſſime negant; quanquam, eodem tempore, eas non icterum tam ſaepe movere, quam nonnulli exiſtimaverunt, nobis perſuaſum eſt. Exempli gratia, morbum excitaverunt paroxyſmi irae violenti, diſtenſio vomitione facta, et complures alii niſus violentiores. Hoc ſpaſmo ex toto fuit tributum, ſed facile conſpicere poſſumus, haſce convulſiones et agitationes icterum modo longe alio progignere poſſe, id eſt, concreta e veſicula fellis, ubi bili antea innatarunt, in ductum communem depellendo. Quaedam ingeſta * hunc morbum excitare a nonnullis auctoribus dicuntur. In ſtadio febris Indiae Occidentalis flavae ſecundo, icterus ſymptomaticus progenerari videretur. Cum vero hic morbus aliter invadat, aliter depellatur, et effectus in corpus, qui in ictero vero non incidunt, edat, eum cum ictero genuino confundere nolumus; et igitur in diagnoſi unum ab altero ſecernere ſumus conati. Si morbi a ſe invicem diverſi ſint, ſecretio bilis adaucta pro cauſa, quae icterum moveat, non habenda eſt. Hanc quidem in febre Indiae Occidentalis flava incidere, et colorem ictericum

* Semina groſſularum, in uno exemplo, morbum feciſſe exiſtimabantur, quod aeger ictero laborans ad ſanitatem reductus eſt, quantitate ſeminum groſſularum, quam, ante tres hebdomadas, ſemet ediſſe meminit, evacuata. Haec in ea ductus parte, quae in duodenum hiat, inhaerendo morbum forſitan moverunt.

ictericum facere, ponere poſſumus; hepar vero hic non primariò, ſed tantum ob morbum ſyſtematis magis generalem, affici videtur. Animus, ut in hanc ſententiam concedamus, nobis inclinat, quod pyrexia flavedinem fere ſemper antecedit. Dici quidem poteſt, febrem, quanquam flavedo in ſuperficie, niſi ſpatio unius diei biduove elapſo, non ſemet oſtendit, non morbum primarium eſſe, ſed a magna bilis in ventriculum et inteſtina effuſione pendere. Hoc vero concedi vix poteſt, cum nobiſcum reputamus, acceſſionem cholerae ſignis pyrexiae raro ſtipari. Igitur omnes autem, quantum noverimus, convenit, hunc morbum a ſecretione bilis adaucta, et effuſione ejuſdem in canalem alimentarium copioſa, oriri.

Antequam ea, quae de cauſis excitantibus proferre nobiſcum decreveramus, ad finem perducimus, ſententiam, in quam nonnulli auctores iverunt, oppugnandum eſt, icterum nempe per ſecretionem bilis interpellatam creari; cauſae cur hanc opinionem repudiamus, ſunt, quod liquores ſecreti in maſſa humorum compoſita nunquam ſemet oſtendunt, et dotes ſuas diverſas tantum, poſtquam per organa ſecernentia tranſierunt, et aliquid mutationis forſitan per actionem eorundem ſubierunt, in conſpectum dare conſuerunt. Quicunque ſpecies morbidas, quae poſt mortem repertae ſint, ab auctoribus compluribus collectas examinandi laborem ſibi ſuſcipiet, is exempla tumorum omnigenorum, qui hepata eorum, in quibus ne unum quidem icteri ſignum ſemet unquam oſtenderat, infeſtaverant,

verant, numeroſa reperiet. Immo exempla memoriae produntur, ubi hepar univerſum ſchirro laboravit, vel ſuppuravit, et icterus tamen in aegrotum nunquam invaſit. Hoc Doctori Heberden lubentes aſſentimur, ſanguinem cujuſlibet animalis, ſi ſine hepate vivere poſſet, et hoc exſecaretur, non plus bilis, quam animalibus caſtratis proprium ſeminis eſſe oſtenſurum. Si urina ſecreta quodlibet obſtaculum offendat, quod evacuationem ejus impediat, ſaporem urinae in ore frequenter quaeretur aegrotus. Caeterum in iis, qui hydrope laborant, nullus urinae ſapor ſentitur, quia nihil ejus ſecretum fuerat, et poſtea in ſyſtema rurſus per abſorptionem devectum.

CAUSA PROXIMA.

Icterum a bile humoribus circumeuntibus admiſta proficiſci omnes una voce fatentur; ſed de ratione, qua in ſanguinem recta devehatur, multum acriterque fuit diſputatum. In alias ſententias ſuper hac alii phyſiologi iverunt. Quidam eam regurgitatione in ſanguinem ingredi affirmarunt, dum alii eam maſſam humorum circumeuntium abſorptione intrare contenderunt. Cum in hoc argumento accurate inveſtigando multum temporis conſumere, multumque laboris operaeque ponere

cogeremur,

cogeremur, cumque altera opinio a pleriſque jam recepta ſit, et altera repudiata, id quam breviſſime exequemur. Opinio, quae bilem in ictero a ductibus in venam cavam per venas hepaticas retropulſam eſſe ponit, utpote quae rationi ſatis congruere videretur, ante invecta eſt, quam anatomici ſyſtema lymphaticum abſorbens perſpectum habuerunt. Nunc vero quaerendum eſt, utrum haec doctrina necne, notitia rei anatomicae hodierna tantopere aucta et exculta, deſeri debeat. Hujus theoriae ſuſtinendae cauſa dicitur, liquores in ductum hepaticum cadaverum vi impulſos venam cavam intrare, et idcirco bilem regurgitare. Huic objici poteſt, ratiocinium a phaenomenis liquorum in hepar immiſſorum perperam deduci, quod ſyſtema vaſculoſum in cadavere, quam in corpore vivo, magis laxum eſt, et igitur injectionibus minus obſiſtit. Quinetiam bilis per tunicas veſiculae fellis poſt mortem tranſudans, mortem vias, quae, principio vitali agente, propemodum imperviae fuerunt, adaugere et dilatare teſtatur. Inſuper, vis in liquoribus immittendis neceſſario adhibita membranas rumpere, et vias, quae naturaliter non extiterunt, patefacere periclitatur, praeſertim ſi laxitas morti ſuperveniens, modo poſita, huic accedat. Vis quoque, quam ſyrinx in hepar edit, cum poteſtate veſiculae fellis contractili, vel preſſura, comparanda eſt. Profeſſor rei anatomicae jure celeberrimus, Dr Monro, docet, ſe poſtquam icterum in exemplis circiter quadraginta ligaturam ductibus biliferis injiciendo excitaverat, ductu communi, qui, ſub initium non calamo communi amplior fuit,

ſuit, ad magnitudinem pollicis adaucto, liquores in venam cavam minime facilius impellere potuiſſe. Immo adjicit, ſe bilem, dum animal ictero laborabat, ductu comprehenſam premendo in maſſam ſanguinis repellere non valuiſſe, veſicula fellis prius diſrupta, quam partes ultra eum ſitae violentiae applicatae ceſſerunt. Abſorptioni bilis aliud quoque objecerunt, lymphatica nempe hunc humorem integrum, et mutationis expertem, devehere non poſſe, quod ad lympham ſolam abſorbendam deſtinari videntur. Si hanc aſſeverationem in momentum nobiſcum leviter conſiderabimus, quam parum veritatis ei inſit clare evidenterque videbimus. Facile, uti putamus, concedetur, virus varioloſum et venereum revera abſorberi; et ſanguinem quoque in contuſionibus violentis, ubi quantitas ejus non parva in telam celluloſam effuſa eſt. Si contendatur, bilem adeo viſcidam eſſe, ut nequeat abſorberi, quaeſtionem, contra, proponere liceat, in quidnam convertitur glandula thymus, quove abit? Cur oſſa aetate provectiorum, quam juniorum, tanto leviora ſunt? Haec et ſimilia probabile, immo certum, reddunt a legibus oeconomiae animalis non alienum eſſe ponere, alias ſubſtantias aeque facile ac lympham abſorberi; immo, ſingulos ex humoribus ſecretis a receptaculo ſuo per ſyſtema abſorbens aſportari poſſe. Bilem autem abſorberi Monroius celeberrimus, qui omnia experimentis probare, quam hypotheſi probabilia reddere, mavult, clare evidenterque demonſtravit. Animal vivum patefecit, et ductum communem ligavit. Deinde vulnus integumentorum conſuit,

ſuit, et animal in eo ſtatu reliquit, donec, e flavedini oculorum, icterum progenitum eſſe, didicit. Rebus ita ſe habentibus, animal ſecundo aperiendum curavit, et vaſa lymphatica bile turgere notavit. Ex iis inciſis humorem emiſit et collegit. Eundem colore flavum, et ſapore amarum eſſe, comperit. Si doctrina abſorptionis recipiatur, minime inde, ut nonnullis placet, ſequetur, mortales ictero conſtanter laborare oportere. Nonnihil bilis ſemper abſorberi concedimus; ſed pars ejus longe major, ſanitate ſubſtante, per exitum naturalem in duodenum devehitur. Portiunculam ejus, quae ſoleat abſorberi, adeo dilutam eſſe ponimus, ut ſemet per nullos effectus ſenſibus percipiendos oſtendere queat. Facile concipere poſſumus, diſtentionem acrimoniae, quam bilis a ſtagnatione forſitan acquirit, adjunctam, actionem lymphaticorum ſolito vehementiorem poſſe movere. Hae cauſae autem faciunt, ut abſorptionem bilis adauctam cauſam icteri proximam eſſe concludamus.

QUORUNDAM E SIGNIS EXPLICATIO.

Defectui ſtimuli bilis ſoliti in duodeno languorem et laſſitudinem, quae tam conſtanter icterum comitantur, tribuenda putamus. Hinc inteſtina muniis, quibus aſſueta ſint, nequeunt fungi, et ventriculus reliquumque corpus per conſenſum, qui ea inter et inteſtina intercedit,

dit, afficiuntur. Flavedo unguium, cutis, et urinae vix ullius explicationis indigere videtur. Idem de amaritudine ſalivae dici poteſt. Haec omnia ſigna ab inſolita bilis quantitate in univerſum ſyſtema diffuſa, et per excernentia diverſa evacuata, uti neminem latere poteſt, proficiſcuntur. Dolor hypochondrii, vel regionis epigaſtricae, a concretis ductus biliferos irritantibus, vel ab accumulatione bilis veſiculam ipſam diſtendente, pendere poteſt. Moleſtus cutis pruritus, et calor narium mordax, forſitan a bile nervos cutaneos irritante originem deducunt. Anxietas, ſpiritus difficilis, ſenſus ponderis, et oppreſſio circa praecordia, a veſicula fellifera, vaſiſque hepatis nimis diſtentis, pendere videntur. Hoc autem circuitum ſanguinis tardum ejuſdemque congeſtionem in pulmonibus facere poteſt. Nauſea et vomitio per conſenſum, qui ventriculum inter et reliquas corporis partes intereſt, non difficulter exponuntur. Cum dolores, a calculis biliariis proficiſcentes, graves evadunt, ventriculus conſenſu afficitur, et aegrotus ea, quae ſtomacho continentur, ut in nephritide calculoſa incidere ſolet, rejicit. Si irritatio in ſpatium temporis non breve maneat, partes vicinae afficiuntur, et inflammatio febriſque oriri periclitantur.

EVENTUS MORBI.

Prognoſis in hoc morbo a noſtra cauſarum excitantium notitia pendebit. Si cauſa non deeſt, cur icterum a tumoribus ductus biliferos comprimentibus proficiſci ſuſpicemur, exitus morbi fauſtus minime praeſagiendus eſt. Haud improbabile, icterum ab hoc fonte oriri, ſi aliis morbis, quibus aeger ante laboraverat, ſupervenit, praeſertim ſi notis obſtructionis viſcerum fuerunt ſtipati. Cum morbus poſt dies pauculos evaneſcit, brevique poſtea repetit, cum paroxyſmus dolore epigaſtrii et vomitionibus inde orientibus comitatur, ſpes ſalutis affulget, praeſertim ſi concreta biliaria vomitione rejiciuntur, aut in ſtercore reperiuntur. Morbum aliquando depellere dicitur bilioſa diarrhoea. Haec vero deceſſionis icteri effectus potius, quam cauſa eſt, a fluxu bilis, uti putamus, in inteſtina, concreto e ductu communi expulſo, ex toto proficiſcens. Licet hoc in exemplo, flavedo cutis et oculorum in aliquantum temporis maneat; morbum tamen brevi deceſſurum ſperare poſſumus. Si paroxyſmus, ſine ulla intermiſſione, et ſine ullo epigaſtrii dolore, diu manſit, fauſtus morbi finis vix promittendus eſt; quoniam vel compreſſio ductuum externa, vel morbus eorundem timendus eſt. Sudor, ſponte prorumpens, aegrotum ad ſanitatem reductum iri nonnunquam portendit; ſed hydrops, ſanguinis profuſiones,

ſuſiones, vel ſudores corpus digerentes accedentes, medicinam parum in morbum poſſe teſtantur. Icterus minus junioribus et robuſtis, quam in ſenioribus et infirmis, timendus. Illos, quibus non multum aetatis acceſſerit, aliquando ſemel invadit, et nunquam revertitur. In grandaevis vero paroxyſmi frequenter redeunt, et morbus gradatim gravior evadit.

RATIO MEDENDI.

Conſilia huic morbo medendi generalia ſunt,

1. Cauſas excitantes tollere.
2. Signa, quae graviter urgeant, levare.

Quantum ad prius conſilium attinet, remedia pro natura cauſae varianda. Igitur, methodi ergo, et quod calculi biliarii cauſa morbi longe frequentiſſima ſunt, ab illa, remedia quae ad eos expellendos optime accommodari videntur, enumerando incipiemus. Antequam vero ad ea recenſenda progrediemur, paucis forſitan de rationibus, quibus calculos intra corpus diſſolvere medici conati ſint, diſſerere conveniet. Vix ullus auctor reperiundus eſt, qui non aliquam hoc exoptatiſſimum quidem praeſtandi viam in medium protulit. Quaecunque vero fuerunt tentata, ea, ut credimus, nihil profecerunt. Hoc conſilio ad aquam aëre fixo imbutam, aquam calcis, ſaponem, et ſubſtantias alkalinas, quae

magnis

magnis laudibus fuerunt elata, fuit decurſum. Vir clarus tamen Dr Heberden nihil aliud, quam levem viridam tincturam, e calculis biliariis, lixiviis ſaponaceis, aqua calcis, et ſalibus alkalinis ſolutis, maceratis, extrahere potuit. Cur igitur aliquis ſibi in animum induxit, haec ventriculo recepta calculos diſſolvere potuiſſe. Sagax et venerabilis Aphoriſmorum Boerhaavii explicator caſum cujuſdam generoſae ſexaginta annos habentis memorat, quae in ſpatium annuum ictero continuo laboraverat. Succo gramineo cum ſero lactis vere, aquis Spaaenſibus menſibus aeſtivis, et magna ſaponis Venetici quantitate, cum melle hyeme, uti conſuevit. Faeces granis calculorum aſperis plenae fuerunt, et aegrota tandem convaluit. Caeterum idem auctor, in commentario ſuo in eundem aphoriſmum poſtea notat, de gramine, dente leonis, cichoreo, plantiſque ſimilibus, verba faciens: "Verum non certus ideo eram, quod forent "calculorum comminutorum partes, cum in cadave-"ribus tales minores aſperi calculi, immo et ſabulum "in veſica fellea, ductu hepatico, et ipſa hepatis ſub-"ſtantia, quandoque inventa fuerint." Ulterius, inquit illuſtris Swietenius, ſe liquorem, qui haec concreta intra corpus diſſolvere poſſet, comperire ſaepius fuiſſe conatum; ſed incepta ſibi parum proceſſiſſe. Noſmet quoque nullum hujuſmodi fluidum noviſſe plane lubenterque confitemur; et igitur nihil amplius operae in hac re ponentes, ad ea remedia, quae ad deſcenſum concretorum in duodenum accelerandum accommodantur, conſideranda pergemus. Ex his autem emetica primam attentionem

attentionem ſibi vindicant. Nulla medicamenta huic morbo melius convenire, aut majorem efficaciam habere videntur. Evomendi actio corpus univerſum, et praeſertim viſcera abdominis, agitat. Hoc forſitan ad veſiculam fellis diſtenſam comprimendam, et ad eundem effectum in ductus ipſos edendum, aliquantum conferre poteſt; unde ductus dilatari poſſe ſperare licet. Vomitio plurimum auxilii promittit in caſibus recentibus, vel cum morbus ſub forma paroxyſmorum ſemet oſtendit; quoniam rebus ita ſe habentibus, ratio eſt cur ſpem foveamus, calculos eſſe mobiles, recenter in ductum eſſe delapſos, et non adhuc in eo firmiter inhaerere. Si vero e ſpatio morbi concretum amplum eſſe, vel inflammationem a gravitate doloris ortam fuiſſe ſuſpicemur, ad hocce remedium caute decurrendum eſt, vel eo ex toto abſiſtendum. Si emeticum ut concreta deſcenderent fecit, et cauſa non deeſt, cur ex eorum ſpecie caſuſque ſignis, alia in veſicula ductibuſve eſſe relicta, cogamus, alterum ex intervallo duorum triumve dierum praeſcribere conveniet. Primum emeticum votis raro reſpondet, ad alterum, ut modo comprehenſum eſt, confugere plerumque neceſſarium. Proximum eſt, ut de catharticis agamus. Quantum ad haec attinet, potentiſſima reliquis anteponenda. Vis cathartici fortioris ſtimulans motum canalis alimentarii periſtalticum augere, et igitur omnia excernentia in eundem hiantia afficere poteſt. Cathartica tamen non tam frequenter, nec cum ſucceſſu tam proſpero, quam emetica, adhibentur; et Cullenus celeberrimus ea nunquam, niſi alvo

tarda

tarda et adſtricta, praeſcribenda putat. Bianchi vero caſum mirabilem memoriae tradit, ubi generoſa, uno cathartico valentiore dato, calculum juglandem magnitudine excedentem excrevit. Non fuſe de variis purgantibus, quae in uſum fuerunt revocata, differemus; ſed tantum notabimus, calomelas, rhabarbaro aut jalapio adjunctum, aquam marinam, ſal catharticum amarum, vel Glauberianum, ex infuſo alicujus ſubſtantiae vegetabilis amarae ſolutum, et infuſum ſennae cum manna, laudibus fuiſſe elata. Abſit, ut expulſionem calculorum biliariorum exequentes exercitationis mentionem facere obliviſcamur. Haec plurimum prodeſſe poteſt. Cum calculus qui deſcendit exiguus eſt, deſcenſum ejus accelerare forſitan valebit. Concreta leviter cohaerentia in veſicula nonnunquam reperiuntur. Exercitatio partes, unde conflantur, forſitan disjungere, et tranſitum earum per ductum facilem reddere poteſt; cum alioquin in eundem non recepta fuiſſent, aut recepta ſine magna difficultate, non tranſiiſſent. Modus gradusque exercitationis e conſtitutione aegrotantis corporea et iis, quae caſum comitantur, magnopere pendent. Equitatio plerumque reliquis ejus generibus praeſtat, et rheda vehere quoque fuit laudatum. Dr Muſgrave caſum viri generoſi in Tranſactionibus Philoſophicis enarrat, qui iter rheda Bathoniam faciendo magnum calculum evacuavit. Cum molem mirabilem, ad quam ductus biliferi poſſint diſtendi, et multa remedia, quae, propterea quod fauſto tempore fuerunt praeſcripta, icterum ſanandi famam ſibi comparaverunt, non

ignoremus

ignoremus hoc concretum per iter depulſum fuiſſe, non enixe et pertinaciter affirmabimus. In ſumma tamen, exercitationem tranſitum concretorum hoc genus plerumque provecturam eſſe, putamus, et valetudini commodae generali amicam fore, compertum habemus. Caeterum exercitatio violenta non temere praecipienda. Cum exercitatio lenis ad calculos removendos conferre, et dolorem non augere reperitur, in ea perſtari debet. Si vero cruciatum nihil proficientem tantum intendit, aut facit, ea abſtineatur. Cum conditionem bilis viſcidam ut cauſam, quae aliquando icterum poſſit movere, poſuerimus, non alienum erit hoc in loco notare, ea remedia, quae contra calculos efficacia eſſe putentur, non minus apte in exemplis, in quibus bilem viſcidam eſſe ſuſpiceris, praeſcribi poſſe *. Si cauſa ſit, cur morbum a ſpaſmo oriri ponamus, ad opiata confugiatur. Unum in uſu eorum diligenter attendendum eſt, alvum nempe adſtrictam fieri nunquam permittendam eſſe. Fomenta regioni epigaſtricae admota ſuperficiem relaxare, et conſtrictionem partium ſubjacentium fortaſſe levare, poſſunt. Enemata quoque inteſtina lubricandi et relaxandi, et ita affectus partium, cum iis conjunctarum, imminuendi conſilio data, et, ob utilitatem, laudata ſunt. Si leviſſima ſpaſmi ſuſpicio ſit, emetica diligentiſſime caveantur,

* Ill. Dr Home materiam viſcidam e duodeno in ductum communem extremum ſe inſinuare poſſe opinatur, adeo ut fluxum bilis impediat, et ita icterum faciat. Cum rem ita ſeſe habere ſuſpicamus, ad ova, quae tot tantique laudibus Dr White Mancunienſi elata fuerint, decurrere poſſumus.

caveantur, quoniam nihil aliud quam morbum graviorem efficerent.

Nunc ſupereſt, ut de cauſis icteri agamus, quae, proh dolore! a medico ſagaciſſimo etiam vix tolli poſſunt. Quae cauſae vero nobis ob oculos obverſantur, eae ſunt ſchirri et tumores ductus comprimentes, ductus ipſi in ſubſtantiam oſſeam mutati, parietes eorundem ſibi invicem adhaerentes, in hiſce exemplis, ſalutem aegrotantis deſperamus. Cum vero hoc morbo conflictantes non negligi debeant, dum vita ſupereſt, et medicamentorum periculum facere volunt, ut ad ea, quae *deobſtruentia* appellantur, decurratur ſuademus. Ex his nullum pluris fuit aeſtimatum, quam mercurius. Cicuta et ſtrammonium a Dr Stork ſummis laudibus ornata fuerunt. Quinetiam pareiram bravam, curcumam, aquas minerales, ſales alkalinos et medios, praeceperunt medici diverſi. Si inflammatio oriatur, regimen antiphlogiſticum ſtricte adhibendum.

Nunc ad conſilium poſterius ventum eſt, ſigna nempe, quae graviter urgeant, levare. Nullum autem ſignum gravius urget, quam dolor intenſus, quem aeger in regione hypochondriaca, vel epigaſtrica, ſentit. Hic dolor interdum adeo gravis eſſe dicitur, ut nihil ante conari, quam levatus eſt, debemus. Vir eruditus, cujus mentionem ſupra toties feci, Dr Heberden, notat, aegrotantibus, quos infeſtat, pulſus arteriarum frequenter naturalibus, et ſolitis non eſſe celeriores. Rebus ita ſe habentibus, nullius alius medicamenti, praeterquam opii ſaepius reiterandi, periculum faciendum eſt. Sin notae inflammationis et febris accedant, ſanguis detrahi

poteſt.

poteſt. Quamvis miſſio ſanguinis interdum neceſſaria eſt; haudquaquam tamen ſemper requiritur. Cum nulla ſigna gravia ſubſunt, ea abſtinendum eſt, ne vires aegroto nimis convellamus. Si ea opus eſſe putatur, plerumque, ante emeticum datum, adhibetur. Cum ſigna perquam ingrata, ob defectum bilis in canali alimentario, aliquando oriantur, hujuſce rei ratio ſemper habeatur. Alvo adſtricta, laxantia leniora fuerunt adhibita, qualia ſunt caſſia, tamarindi, manna, &c.; ſapo et amara laudata ſunt, utpote quae vicem bilis reddere poſſe exiſtimarentur. Multa amara hoc conſilio in uſum revocata fuerunt, ut canella alba, abſynthium, centaureum, cortex Peruvianus, et denique bilis ipſa. Quinetiam aſſafoetida, aloe, et gentianae extractum ſaponi adjecta ſunt. Si morbus diarrhoea ſtipatur, nihil aliud neceſſarium eſt, quam, ne nimia evadit, cavere, et ventriculum amaris corroborare.

Specifica diverſa, quae, ut remedia efficaciſſima in ictero, fuerint jactata, non digna eſſe, quae enumerentur, ducimus. Quaedam eorum adeo abſurda ſunt, ut mentionem eorum injicere ridiculum foret. Univerſa quidem oblivione aeterna, nullo detrimento ſocietati generis humani illato, obrui poſſe nobis perſuaſum eſt. Cum opus ſit, ut, in curatione uniuſcujuſque morbi, per conſtitutionem aegrotantis corpoream et magnam rerum improviſarum varietatem, quae incidere poſſunt, regamur, de ratione ictero medendi fuſius accuratiuſque diſſeruiſſe, omni lectori ſupervacaneum viſum iri confidimus. Viam icteri ſanandi maxime ſimplicem, et eam

in quam plerumque ſoleat procedi, tradere ſumus conati.

Quae cauſae homines ad hunc morbum proclives efficiunt, eae tanta obſcuritate involutae ſunt, ut prophylaxin ſilentio ex toto praetereundam putaverimus. Quod ſubſequitur, id ſolum notabimus, aëra nempe purum frigidumque, exercitationem, circulos hilares frequentare, et diaetam lautam et generoſam, quae in aliis valetudinis incommodae exemplis tantum proficere reperiantur, ex ictero convaleſcentibus, utpote quae conditioni eorum in primis accommodentur, eſſe praecipienda.

FINIS.